

**Disputatio medica, casum aegri hernia laborantis exhibens ... / [Johann Martin Ehrlich].**

**Contributors**

Ehrlich, Johann Martin, 1657-  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jenae : Literis Krebsianis, [1684]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vvsd4ymb>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

36

DISPUTATIO MEDICA,  
Casum Ægri  
**H E R N I A**  
laborantis exhibens,  
PRÆSIDE  
**GEORGIO VVOLFF-**  
**GANGO WEDELIO,**  
Med. Doctore, Archiatro & Theoretices  
Professore,  
publico eruditorum Examini proposita  
à  
**JOHANNE MARTINO Schrligh /**  
Altenburgensi Misnico,  
*ad diem Septembr.* z 1  
z 2  
1684.  
Horis Locoque consuetis.

---

*JENÆ,*  
LITERIS KREBSIANIS.

PERIODICA

CENSUS OF THE

A. D. 1850.

POPULATION EXPENSES

ESTIMATES

FOR COUNTRY AND TOWNS

OF THE UNITED STATES

AND TERRITORIES

BY J. R. GREEN

BOSTON: D. C. THOMAS, 1850.

POPULATION OF THE UNITED STATES

AND TERRITORIES

IN 1850.

1850.

HENRY POINDEXTER, COMPTROLLER.

1850.

LITERARY REVIEW.



## Proæmium.

**M**ultum interest, ut stationem suam teneat unaquæque corporis pars, munia sua sic explens, nec reliquis impedimentum concilians. Simulac verò hanc dimitit quæpiam, mox machinæ vitalis quædam inordinatio ac labes subsequitur.

Valet id non de duris solum, quibus & primariò competit, velut totidem columnis & fulcris, quibus labescentibus, fractis vel ex cardine motis, desubitò movendi potentia, his organis absoluta, fastiscit; verum & de mollibus, & inter hæc maximè intestinis.

Hæc, quasi intus stantia dicta, ventre suo contenta esse oportebat, etiam anteriori facie, ubi murus ossis firmior deest, mollioribus parietibus carneis & membra-neis involuta & defensa, & ipsa tamen tantò magis extuberant sæpe & alienos terminos affectant, quò longiora sunt, sexies circiter corporis longitudinem superantia.

Tacemus ut exitum quærant per janitorem, undecunque excusso coercente vinculo. Ipsum abdomen campus hic Martius est, quò excurrere eadem non raro videas, seu viarum quædam angustiæ fugæ monstrat occasionem, seu perrupto vallo id attentent. Exemplum hujus dum sistimus in proposito casu, à divino imploramus successum Numine!

# Historia.

**A**Dolescens XX. annorum, Temperamenti san-  
guineo-phlegmatici, habitus mollioris, cum  
ante bienium motu fortius agitatus & certatim  
fossam quandam transiliendo fatigatus esset, do-  
mum redux sentit in scroto præter gemellos testes  
tumorem quendam indolentem sinistro latere  
emergere, primum magnitudine castaneæ, hinc nu-  
cis, imò pomi majoris, cum movendi imminutâ  
promptitudine; inde studiis diligentius operam na-  
vans rarius motu digessit torporem, cibis delecta-  
tus grosfioribus, brasficæ, carnium infumatarum,  
suillarum, leguminum, esu, solâ ferè cerevisiâ con-  
tentus, neque corpus æquè à frigore defendens, sen-  
tit à pastu ordinariè dolorem gravativum abdo-  
minis, ad locum affectum protensum, inde verò  
tumor magis inflatur, cum tensione & torminibus  
circa umbilicum, nec prius conquiet, quam desi-  
endi vel decumbendi quoque detur occasio. Do-  
lores iidem à diutinâ sessione & corporis inclina-  
tione ac motu continuato, tumor verò ab iracun-  
diâ vel motu increscit. Decubitu longiori retro-  
cedit & quasi nullus est tumor, extraverso verò &  
caput quandoque dolet. **Petit Consilium.**

# Resolutio.

**A**ffectus, historiâ praesenti expressus, HERNIA est generali nomine, speciali ὁχεοκίλη, seu hernia scroti dicta, quo ipso ab omnibus aliis speciebus, sub uno eodemque genere militantibus, distinguitur. Ut enim hernia, si latinam significationem, Sabinis debitam, spectemus, durum, monticulosum & asperum notat, propriè hoc loco in abdomine, impropriè paulò in gutture, ubi bronchocele audit; sin originem Græcam, ubi ramum significat, qui videtur quasi protritus à truncō, res eodem recidit; Sic utrumque hīc visitur, tumor durus idemq; aliunde velut ramus protensus.

Omnis hernia nomen sortitur vel à subiecto, vel prædicato, quo ipso differentiæ specificæ consurgunt & internoscuntur statim. In nostro casu dum herniam scroti, seu enterocelen dicimus, ab herniâ quâcunque locali aliâ, non minus ac duritiei modis, ut herniâ aquosâ, carnosâ, flatulentâ, varicosâ, vel ipso nomine sit distinctio. Id verò ut ad diagnosin, sic ad prognosin & curationem quoque multum facit. Ruptura adest, uti Latine alias vocatur, ruptura vel in continuitate, vel in contiguitate, ruptura partis continentis.

Demonstrant id ex usitatis fontibus signorum I. ESSENTIALITER INHÆRENS, seu παθογνωμονικός, tumor mentiri nescius, isque in se indolens & subitaneus, testibus gemellis contra in sinistro latere exortus, de quo & hīc valet, ubi tumor, ubi dolor, ibi morbus.

II. ESSENTIALITER CONSEQUENTIA symptomata idem confirmant, potissimum ex actionibus laesis animalibus, seu imminutam movendi promptitudinem, seu dolorem gravativum ordinariè à pastu ad locum affectum protensum, seu abdominis circa umbilicum tensionem & tristem sensum, seu hoc ipsum quoque circa meninges capitis expressum spectemus.

**III. C A U S A E** prægressæ subscribunt, & præ aliis quidem saltus intempestivè institutus & frequentatus, cibi item grossiores & flatulenti, corporis infrigidatio & alia.

**IV. S I M I L I T U D O** denique ultimum momentum addit, cum tali modo decumbentes hoc affectu laborare lippis quoque & tonsoribus notum fit.

**S U B J E C T U M** hujus morbi est scrotum, si quidem herniam ut tumorem reputemus, illud enim intumescit, sive in dimensionibus suis augetur.

Est verò & scrotum de horum genere, quæ ut membra nea contrahi & corrugari, hinc & dilatari possunt & solent pro modulo contentorum, qualia quidem in aliis varia occurunt.

Sin Subiectum causæ lustrare velimus, non aliud nisi peritoneum est, ejusque processus lateralis sinister. Propriè enim scrotum est subiectum recipiens, cum tumor præsertim hic non sit immanens, non substantiæ scroti proprius, sed transiens, pro illapsu ponderis vel egressu.

**S U B J E C T U M A D A E Q U A T U M** sunt intestina, proximè huic loco accumbentia & ordinariè ab his thermopylis seclusa, uti per mechanicam quoque notum est, per minores canales concedi posse transitum peculiarem, citra adapertam portam pro aliis quibuscumque. Hic verò ampliori concessso spatio & pondere suo prolabuntur mox intestina, & eodem ampliant sibi spatum, cum primis & ipsa magis expansa. Nominandum speciatim hinc **I L E U M**, quod & longissimum omnium, & lubricitate magis ad extum prouum, &, quod palmarium est, accubans huic regioni; Illud enim excidit, citra ullam προσάγεσσιν, quod proximum est, trudentibus vel cedentibus quoque superioribus.

Locus illapsus est processus peritonæi, quo mediante communicant cum reliquo corpore testes, extra mœnia quasi publica locati, latis illuc vasis spermaticis, & communis speciei usui & proprio testium dicatis. Processus concedit transitum his canalibus, & per accidens quoque intestinis,

stīnis, factā hīc locorum lēsione particulari, nam & plurā  
alia dantur, & vicina inguina etiam in viris, ut ut minus  
constantem, rāmicem sustinent non raro.

**CAUSA IMMEDIATA** est decubitus intestinorum  
laudatus. Omnes siquidem tumores materiale aliquod  
possident, quod velut causa continens eosdem foveat, quo  
ablato tolluntur & ipsi. Triplex talis cum esse possit ma-  
teria, fluida, vaporosa & solida, posterior hoc loco accu-  
fanda est. Omnis enim tumor foveatur ab intestino huc  
delabente, idque immediate.

**CAUSA MEDIATA PROXIMIOR** est extensio pe-  
ritonæ inæqualis. Extensionem vocamus, ut sic satis fiat,  
quibus vel ruptura, vel relaxatio saltim in causâ videtur.  
Medium hoc aliquod est præcipue morbo conveniens,  
& utrumque complectens. Nunquam fieri potest hernia  
citra extensionem, eamque inæqualem. Inæqualitas hæc  
propriè herniam facit, seu protuberantiam; in statu enim  
naturali æqualiter obtensum undique visceribus infimi  
ventris visitur. Sique extensio fiat æqualis, sive per æta-  
tem, exemplo adultorum, seu per morbum, exemplo hy-  
dropicorum, nulla fit hernia. Ubiunque verò inæquali-  
tas talis manifesta in extensione observatur, ibi eadem se-  
dem suam figit, seu in umbilico, seu inguine, seu scroto,  
seu aliis quoque his illis abdominis partibus.

Ita enim cessat munus hoc non infimum membranæ  
hujus, quo integumentum est proprium intestinorum, quod  
cum musculis cùm habeat commune, nec illi extra omnem  
culpam sunt, tūm aliis in spatiis definitis, relaxatis & in-  
æqualiter tensis eorundem fibris membraneis, tum in no-  
stro casu inferius ad pubem, quorsum & moles intestino-  
rum reclinat magis, & ad exitum vasorum protestibus per-  
foratio datur.

Liceat speciatim & musculos laudare pyramidales,  
quorum usus inter alia est firmare basin muscularum reli-  
quorum & unà processus peritonæi, ne tam facile laxen-  
tur vel tendantur.

Inæqualis extensio est tum absolutè & considerata in se, ibi facta, quorsum tendentium aliorum vis incubuit, tūm respectivè. Consentient enim in hoc anatomici & medici, disrumpi in herniâ hâcce tunicam peritonæi interiorem, externam verò duntaxat relaxari. Id omne extensio inæqualis supplet & comprehendit.

MEDIATÆ CAUSÆ REMOTIORIS titulum subeunt omnia ea, quæ quocunque modo extensioni huic & consequenti prolapsui velificantur.

TEMPERAMENTUM ægri est sanguineo-phlegmaticum, cumulandis in corpore cruditatibus & impuritatibus serosis aptum natum, & ob id laxitati maximè conveniens; imò partitum dispositio mollior & rarior, concurrente causâ violentâ, multum ad herniam confert.

ÆTAS consentit ipsa. Cūm omnis ætas huic mala obnoxia esse potest, tūm plerumque tamen infantes & pueri, ob texturam teneriorem, adolescentes & juvenes, ob licentiosam vitam & errores diætæ varios, frequentius sibi hoc malum accersunt, quod damno suo expertus non minus est æger.

HABITUS CORPORIS mollior fibrarum minus robur ac carnium denotat, unde facilior labes oborisi potest tam ab internâ humorum indispositione, quam ab externis injuiis.

Ex NON-NATURALIBUS accusandus venit AER frigidus, qui & in genere calorem concentrando, poros cutis occludendo, insensibilem transpirationem prohibendo, sanguinem coagulando, ad varios morbos corpus nostrum disponere potest, & speciatim intestinorum tono infestus est. Inde flatum proventus largissimus, ac exacerbatio ramicis. Videas sàpe quietè degere herniosos, simul verò aeri frigido exponunt corpus, accendi dolorum faces, tumorem augeri, indurari, incarecerari, & minitari symptoma horrenda alia. Idem longè magis fit in mollioribus, & tali temperamento, quali æger noster gaudet.

CIBUS & POTUS magnum morbo addidere mo-  
men-

mentum. Cibi grossiores negotium facessunt archéo, minus obsequi calori & menstruo, διάχεισιν & σόγχεισιν insti-  
tuentibus, nec promptè evolvuntur inde alimentariæ par-  
ticulæ, multum verò accumulantur recrementitiæ. Pin-  
guia, oleracea, leguminosa ex hoc censu sunt præcipua,  
flatibus producendis & gravandis intestinis aptissima. Ex  
hoc verò inflata magis, non contenta spatio pristino, no-  
vum affectant, extuberant, prolabuntur magis, ut contra  
ea si tenuata subsidant, contrahi amant magis secumque  
habitare.

Intemperantia ergò in vietu cum morborum gene-  
trix, tūm nutrix amplissima etiam herniosis onerosa eva-  
dit & lugubris. Excessus omnis talis cruditates, crudita-  
tes flatus, flatus tumores, tumores dolores, singula obstru-  
ctiones & iliacam passionem facile inducunt herniosis. Ac-  
cedit, quod non vini potu cruditates corrigere fategit, ro-  
borando sic calore, & præpediendis flatibus. Tacemus  
inde quoque laxari magis debuisse vincula.

MOTUS gemino vitio accusandus venit, excessu &  
defectu. In promptu affectus causa est potissima, motus  
excessus, saltus citatus cum violentiâ conjunctus, quando  
certatim fossam transfilivit plus vice simplici, Vix ex adul-  
tis centesimus corripitur herniâ, citra hunc tyrannum, ut  
in tenellis quoque motus sui generis tensivi clamorum, &  
jectigationum malum hoc toto die producunt. Motus  
talis herniæ autor est, tūm nisu illo summo & conatu ad  
impellendum, unde diaphragmatis socium & sororians pe-  
ritonæum intenditur magis, facileque laxationem vel ruptu-  
ram subit; tum pondere & mole corporis gravioris, quod  
ut non labatur, periculose tam quoad hoc con-  
cussionem patitur, utrobiisque conjuncto violento impetu,  
quod sensus ipse testatur, si de loco in locum fossam tran-  
filiat quis, vel transfilientem videat, abdomine non cincto  
vel munito, nec corpore aliâ satis robusto, vel jam dum-  
disposito.

In defectu peccavit vitâ illâ sedentariâ, quæ affectui

quadrat quidem, eo ipso verò excernenda congerit magis, unde nec alvus respondet debitè, nec transpirant fuligines serofæ, sed in glandulis stagnant & cum massâ sanguineâ remiscentur.

Imò violentia hæc motui conjuncta ad CAUSARUM PRÆTERTURALIUM classem referri meretur, siquidem actu lœdit magis, unde ut tussis, sternutationes vehementes, vomitus contumaces, alvi obstrunctiones pertinaces indeque orti nifus coactivi, ac plura alia hujus mali certissimi autores esse solent; sic & ipsa hæc exterior violentia.

A talismodi ac tantis causis productus affectus, non mirandum est, quod sequentia post se traxerit symptomata, quæ signorum loco habita explicanda nunc veniunt.

1. *Tumor subitaneus scroti* notat præternaturale contenum ibidem non natum, sed factum, & speciatim ab ingressu intestini per processum peritonæi.

2. *Tumor sensim increscens* primùm castaneæ, hinc nucis juglandis, postmodum pomi majoris magnitudinem assequens, magis magisque dilatum ductum ab incubente volumine intestinalium, sique perruptum magis parietem designat.

3. *Tumor indolens* est, ob æqualitatem lœsionis majorem. Dolor enim omnis inæqualitatem tensionis sequitur & conjunctam habet; quæ si adsit, minor, vel nullus est, quod per solutionem continui in fieri & facto explicant communiter.

4. *Imminuta movendi promptitudo* adest, partim ob articulationem femoris per accidens ac consensum lœsam, ob tumorem sensim sensimque aductum, qui illam impedit; partim ob tensionem majorem, motu & decubitu gravium inductam, utrobiusque spiritibus magis fatigatis & impeditis.

5. *Sentit ordinariè à pastu dolorem gravativum abdominis, ad locum affectum protensum*, ob chyli evolutionem & didierion & σύγκρισιν impediat, indeque consurgentes flatus dolorificos. Hic cum per intestinalium glomeramina

volvantur, ad locum affectum tanquam debiliorem pertin-  
gunt quoque, ibidemque magis exprimuntur.

6. *Tumoris inflatio major*, cum tensione & torminibus  
*circa umbilicum*, debetur inflationi & obstruptioni; flatus  
enim adauerti distendunt colon & reliqua intestina, disten-  
ta majus occupant spatium & pondere suo fibras intesti-  
nales vellicant, sicque tanquam in centro tristem sensum  
exprimunt.

7. *Desidenti vel decumbenti levamen contingit*, ces-  
sante sic tendente pondere, & motu peristaltico seu cir-  
cumpressorio liberius succedente. Imò tumor sic recedit omni-  
nō, concessō ob positum hunc corporis pristino spatio, quō  
pondus extraversum remeat.

8. *Exacerbatio dolorum à diutinā sessione, corporis in-  
clinatione ac motu continuato, eidem adscribenda tensioni,  
ponderi ac communioni intestinorum minus æquabili.*

9. *Tumor à motu animi & corporis increvit*. Illud ob  
spiritus efferatos, viis minūs patulis facilius in motu ordi-  
nario turbatis; hoc ob pondus gravius laudatum intesti-  
norum, cæteroqui lubricorum, succussione illâ magis dela-  
bentium.

10. *Caput quandoque dolet, extraverto tumore, tum ob  
vapores illos peregrinos, inæqualiter membranas afficien-  
tes, tum consensum nervorum sexti paris.*

Perlustratâ nunc insigni hâc symptomatum turmâ,  
ad PROGNOSIN faciendus est accessus.

In se affectus hic nullum lethalitatis metum incutit,  
intestinis loco quidem alieno exceptis, ibidem tamen non  
extra archei fotum & imperium penitus latis. Ast in adul-  
tis rebellis est, & s̄æpe incurabilis, ob indolentiam negle-  
ctus, sicque productus ut plurimum, præcipue verò ob in-  
terpositam hiatui remoram naturalem, ipsis vasis genita-  
libus ad testes euntibus, & intestino illic p. n. inhærente.  
Nulla verò solutio continui curari potest, nisi extranea  
quævis unionem impeditia tollantur vel removeantur.  
Accedit diuturniore morâ velut callus quidam, sive con-

suetudo potius. Nihilominus remoris illis ablatis, dicendis remediis, visi sunt etiam adulti curati, eademque spes ægro integra esse potest.

Ab alterâ verò parte metuendum est, ne vel ruptura negligentia reddatur major, sicque ad motum inconveniens dispositio, vel incarcerata, obstetricante frigore, obstructione aliisque cavendis. Incarceratam verò vocamus, quando intestina non tam quoad continentem suam tunicam includuntur huic malæ mansioni, quam quoad contenta scybala, ut provolvi nequeant penitus, occlusâ ob tumorem & duritatem extraordinariâ portâ, quâ eluctari eadem oportet, sicque iliacâ passione inductâ. Id enim si fiat, lethalis eventus accidere potest, quod tamen aliis est loci.

Si, citra heroicam operationem ad remoram illam tollendam, curatio speranda fuerit, illud quoque LONGIUS temporis requirit spatium, unde οὐαποθήσειν facile solet & ad mortem usque comitari. Id verò cum variet secundum præsidia proponenda, liberum fuerit ægro, salutis suæ cupido, eligere quod magis ex usu est. Est enim hic morbus ex genere illorum, qui dum facile feruntur, nec periculum intentant majus, servantur in statu tolerabili, ceteroquin parum sanitati vel vitæ officiunt.

MODUS EVENTUS erit ad salutem, vel in totum, repositis in pristinum locum intestinis, inque eo detentis, per deligationem & applicationem emplastrorum fortiter agglutinantium, membranarum tunicarumve tono robato; vel in tantum, ut cessent symptomata à malo exacerbato oriunda, ipsum verò conquiescat & inducias incolumenti reliquæ præbeat.

CURATIO innixa methodo medendi ad indicacionum modulum instituenda. CURATORIA pro diverso respectu variat; mala enim, quæ molestiam non fœnerant, seu non lœdunt, suo modo sanitati quasi æquiparrantur. Si ergò lœsionem hanc intueamur, ex hujus regulâ vel ablationem completam meditabimur, curando intestino-

storum prolapsu hocce, vel incompletam, seu quasi tam, repositione & gestatione tolerabili solum procuratâ.

PRÆSERVATORIA, causis intenta, omnia illa attendere jubet, quæcunque vel tendere vel ampliare intestina possint, seu præcavendo, ne id fiat, seu auferendo fomitum, in primis flatus.

VITALIS vires attendit dejectas, & tonum viscerum sibi restituit ac conservat.

Hanc in rem si consulamus institutos fontes, CHIRURGICUS in primis herniosis salutem, si aliqua reliqua, certissimam promittit.

Prima cura sit REPOSITIONIS, quæ facilis quidem est, ut in nostro hoc casu, nullâ incarceratione præsente, sed ut constans sit, non æquè. Altera, ut repositum maneat, longè potior.

Omnis igitur opera navanda, quo repositio intestini in abdominis cavitatem ritè & legitimè fiat, alias deligation ex voto non contingit, nec motus perversus inde corrigitur.

Ut melius illud fiat, æger supinus in lecto vel alio loco conveniente ponendus est, capite quidem decliviori, cæteris verò partibus eminentioribus, unde clunibus pulvinar subjici potest. Hinc cruribus divaricatis locus affectus inspiciendus, sensim & molliter contrectandus, digitis & volâ manus oleo amygd. dulc. momord. vel alio inunctis, donec intestinum prolapsum sensim sensimque in suum locum reducatur. Possunt etiam hoc fine linimenta emollientia, ex unguent. dialtb. ovo. aneth. bals. traumat. aliisque illini, ut lubricatis partibus & discussis flatibus facilior fiat intrusio.

Ut verò repositum maneat, suademus i. DECUBITUM continuatum per aliquot hebdomadas, ut sic recubans pondere suo domi manere discat intestinum, & tempus concedatur coarctationi & consolidationi, quæ alias fieri minus potest. Facit hoc ad benè esse, si id æger velit & possit.

Observatum est idem non solum *ex meo augēto*, injuncto decubitu, verum quoque per accidens & præter expectationem, herniam, sed probè ligatam, curatam fuisse, cum ob fracturam ossis decumbendum esset longius, quod *Helmontius* meminit.

Opus est 2. **R O B O R A N T E E M P L A S T R O**, quale est *empl. contr. ruptur.* seu *de pelle arietin.* usit. & in primis 3. **D E L I G A T I O N E**, quò per fascias tanquam vincula occludatur aditus, sicque ars levet naturam in firmando pariete debito.

Deligationem commendabimus duplīcem, unam *suspensivam*, alteram *stringentem*. Illa duplex iterum est. Una cingulo constat latiori, ex panno xylinō, cum bombace interpassato, folo, vel ferro simul ad id conformato, quò firmetur hypogastrium circa inguina. Huic verò iterum anterius splenium in pulvinaris modum compositum, lateri affecto respondens, adhæreat, & à perinæo ad lumbos ipsi cingulo illigetur.

Firmius idem reddit pro re natâ culcitra adhuc alia, in medio perforata, ut dimitti penis cum testibus, unoque tegmine subligaculi melius sic diligari & coerceri vagina queat. Variandum hoc pro partium illarum in ægro modulo.

Altera *χαρώματα*, quæ ad modum humeralium, Germ, ein Tragband/humeris utrinque suspendatur, sicque gestando onus scroti levet, firmetque.

Ast cum probè quidem hæc se gerant, quando æger deambulat, flexo verò corpore vel ipsâ sessione firmitudinis robur cedat, nec par sit occlusioni isti, cogitatum, quoque est de alio modo, quem ob firmiorem detentio nem *stringentem* nominavimus.

Stringens hæc diligatio solâ fit fasciatione, quando fasciâ linea aliquot ulnarum, longiorem enim esse oportet, circa lumbos cingitur corpus, affecto verò latere artificiose circumvolvit & decuslatim traducitur extremum, sicque

que quasi nodum efformat, quo stringitur egregiè vagina, repetendo hoc ipsum, ex lumbis ad perinæum utrinque progressando, quo pacto & deambulare potest a ger sine molestiâ, aliaque præstare munia.

Proponimus hæc singula ægro, ut commodius eligat, & ex ἐνΦρειᾳ approbet. Ita enim, si consolidatio plena-ria speranda non fuerit, præcavere tamen elapsum potest, & supplere illud damnum internum artis hâc ope.

Cumque natura sit morborum medicatrix, quod nullo magis quam solutæ unitatis exemplo videri potest, expectandum est, quantum conferre suo loco possit hæc secundum ipsius intentionem administrantibus. Sin perturbus mali, & tenax sanitatis desideratæ integræ, non contentus palliativâ hâcce, graviorem curam non aduersetur, ablegandus fuerit ad ὀρχότομον peritum, qui cum exsecctione testiculi, citra metum impotentiaz, id præstet.

**EX PHARMACEVTICO** Fonte primo loco **LENIENTIA** se fistunt, magni usus in herniosis, quandoquidem alvo obstructâ congeruntur & regurgitant flatus, sicque tumorem inflant & augmentant; unde alvum aper tam esse in his consultum est.

Cordi sit ægro, talibus ἔκκοπτωτηοῖς benedictis aliquando uti. Omnem verò obstructionem longiorem & dolorificam cum primis habeat suspectam.

Promovebunt alvum ex lubricantibus butyri assumtio largior, & amygdalor. dulc. cum juscule avenaceo, manna, & passulæ laxative. Ex stimulantibus & detergentibus aloetica, & alia.

**R.** aloes rosat. **M.** Ear. a. 3j.

croc. 3j. aper. 3fl. & anis. gt. j. c. f. q. elix. prop. laxat.

F.l.a Pilulæ minimæ. S. Eröffnende Pillen.

**R.** crystall. 3fl. 3fl. Glat. gr. viij.

res. scam. gr. iij & mac. gt. j. M. F. Pulvis. D. ad chartam.

S. Lind-Pulver.

**R.** eff. fol. senn. rhabarb. 3ii a. 3ij. M.

D. in vitro. S. Lind-Essens,

Ad hunc censum etiam spectant CLYSTERES, si cubi obstrukiones faceant negotium, vel aliquod minitentur periculum, sine ullo metu, imò certâ cum spe prompti auxilii adhibendi. Citra tumultum enim ullum ac molestiam emolliunt duras feces, demulcent tensa intestina ac elutriant, unaque flatibus exitum pacatum monstrant, ut mirandum sit, intuta à nonnullis hæc in herniâ præsidia haberí.

Rx. rad. althæe, lil. alb. malv. ā. 3β.

fol. rut. ror. marin. meliss. ā. m. j.

flor. chamom. verbasc. lil. alb. ā. p. ij.

bacc. laur. juniper. sem. anis. ā. 3j. fæn. græc. 3ij.

Coq. in s. q. ▽. s. Col. Rx. 10j. add.

elect. de bacc. laur. 3j. mell. rut. 3β. ०० lil. alb. 3vj.

vitell. ovor. n. j. M. F. l. a. clysma.

Rx. rad. apii, malv. gram. ā. 3ij.

herb. 5. emoll. flor. verbasc. melilot. ā. m. β.

sem. perfol. fæn. græc. bacc. laur. ā. 3ij.

caric. ping. n. vj. Coq. ex s. q. fer. lact. Rx. Col. 3x.

elect. diaphæn. 3β ०० verbasc. 3j. vitell. ovor. n. j.

F. l. a. Enema.

Tacemus, in casu tumoris inducti & obstruentis, residuum decocti clysteris in cataplasma aptari posse emolliens, exterius scroto affecto imponendum non minimo cum successu, cum emollientia clysterum sint materia prima.

Respondent his in stimulandâ alvo SUPPOSITORIA, quorum usus etiam hîc locum aliquando habere potest, apparatus verò cum in officinis sufficiens extet, non opus est denuò præscriptionem fieri.

PURGANTIA tûm præservandi fine, verno vel autumnali tempore, ex usu esse possunt, tûm curandi, si fors ita ferat. Observatum quippe est, in herniâ σιλεωδη nihil magis prodesse quàm opiata & purgantia, illa compescencia archeum, hæc in viam ducentia cum juvamine.

**Rx.** *spec. diagalap. 3j. scam. rosat. mag. g.g. a. gr. iij.  
crystall. 2ri 3B. o<sup>o</sup> anis. gt. j. M. F. Pulvis.  
D. ad chartam. S. Purgier, Pulver.*

**Rx.** *conserv. rosar. c. mann. rob passular. a. 3j.  
pulv. laxativ. veget. 3j. polycbr. gr. iij. crem. 2ri 3B.  
fir. de pom. laxativ. q. s. F. l. a. Bolus.*

Cumque in laxitatibus ejusmodi membranarum lymphæ copia & qualitas plurimum momenti addat, tum ad ipsam lubricitatem, tum affluxum & sciat, huic sufficient DIAPHORETICA, vi suâ halituosâ lympham in motum scientia, rarefacentia, dissipantia & per poros cutis expellentia. Imò hoc pacto depurato sanguine & discussis, ob affinitatem operandi, flatibus, consolidatio non leviter promoveri, symptomata verò arceri possunt.

**Rx.** *bez. 2ial. gr. xv. mag. C.C. 3B. 2 nativ. gr vj. laud. opiat. gr. B.  
M. F. Pulvis D. ad chartam. S. Schweiß-Pulver.*

**Rx.** *Ræ bezoard. essentif. M. S. a. 3j.  
eff. carm. 2. 3\*ci vin. a 3B. M D. in vitro.*

*S. zertheilende Mirtur.*

**Rx.** *rob ebul. 3j. 2ii 2ial. cacheet. g. xij.  
conch. ppt. 3B. cinnab. 2ii gr. iij. sacchar. q.s M. F. Bolus.  
S. Schweiß-Zucker.*

DIURETICIS abstergi amat amurca venarum, fluxilitas verò & serositas superflua alendoque corpori inconveniens educi, quo facto, minor pituitæ proventus torporem minorem intestinorum relinquit, eligendo in primis magis polychresta, v. g.

**Rx.** *magist. oc. 2. 2ri 2lat. a. 3j. 3onon. 3B. o<sup>o</sup> lign. sassafr. gt. j.  
M. F. pulv. D. ad chartam. S. zertheilendes Pulver.*

**Rx.** *eff. 2ii 2is. succin. a. 3j.  
o<sup>o</sup> lign. sassafr. gt. iij. M. D. in vitro. S.*

*Eröffnende Eßenz.*

**Rx.** *mixtur. antiscorb. 2us aper. Penot. a. 3j. M. in vitro. S.*

*Eröffnende Mirtur.*

Complementum addunt ALTERANTIA & ROBORANTIA, non tam archeum universalem attendentia, qui certe-

roquin benè habet, & si vacillet, aliunde repetenda, quām intestinorum & processus affectorum. SPECIFICA hinc, quæ puta indicationibus determinatis satisfaciunt, esse possunt duplia, carminativa & traumatica, quibus nervina, paragogica, adstringentia aliaque ministrantia & secundaria includimus.

CARMINATIVA sanè omnem absolvunt paginam, quatenus & archeum irritatum placant, & discussis flatibus intestina, minori spatio contenta, domi manere discunt. Unde, Helmontiano experimento, optimum est, in reducendo tumore duro & inflato, vinum leviter bullitum cum sem. 4. carmin. & coriandri ana.

TRAUMATICA verò lympham alimentarem aptant, ut γλιχέρην suā gaudeat, sicque firmari magis laxae membranæ & stringi possint.

Rx. eff. contr. bern. Mich. 3ij. Rx. & sis adstring. 3B. M.

D. in vitro S. Heilende Extractur.

Rx. eff. traumat. Wedel. carminat. a. 3j. anodyn. 3B.

M. in vitro. S. Mixtus.

Rx. ▽ plantag. zedoar. gentian. traumat. a. 3j.

magist. corallior. ocul. 2. a. 3B.

extr. torment. 3ii diaph. a. 3j.

sir. de syph. Fern. cort. citr. a. q. f.

M. F. l. a. Potio. S. Etärck. Erānclein.

Rx. rad. consolid. maj. aristol. O. plantag. ulmar. a. 3ij.

herb. berniar. sanic. millefol. chamom. flor. hyper. balaust. a. p. ij.

sem. 4. carmin. coriandr. sand. omn. a. 3j.

oc. 2. 3iv. nucif. n. j. Concif. contus. g. m. D. in ch.

S. heilende species.

Rx. rad. onon. 3B. fol. berniar. 3ij. sem. 4. carmin. perfol. oc. 2. a. 3j.

macis 3j. sacchar. ad pond. omn.

M. F. Pulvis D. in scat. S. Etärck. Pulver.

EXTERNA, immediate loco affecto applicanda insignem ferunt opem, meritò hinc commendanda, tūm bal- samica traumatica, quæ vigorem archéo addunt, bals. Hispanicum; tūm oleosa, ut quæ repositionem adjuvant, ubi præ aliis

aliis  $\text{oo}$  ovor. & momordice optimè se gerit; tum emplasti-  
ca, quæ firmant, conglutinant & roborant.

Facta sunt hinc Emplastra de pelle arietinâ, ad hernias  
Fernelii, Weckeri, Empl. ad ramices Agricolæ, Grülingii, Schrö-  
teri, Jessenii, contra rupturam Felicis Wurzii, & alia.

Rx. *empl. contra hern.* Myns.  $\frac{3}{ij}.$   
*sem perfol.* cumin. a.  $\frac{3}{ij}.$  *bacc. laur.*  $\frac{3}{ij}.$

*pulv. stypt.* Croll.  $\frac{3}{ij}.$  *gum. tacamabac.*  $\frac{3}{ij}.$   
 $\text{oo}$  ovor. q. f. pic. naval. parum. M. F. I. a. Empl.

S. Bruchpflaster.

Rx. *empl. contra rupt.*  $\frac{3}{ij}.$  magnet. A. S.  $\frac{3}{ij}.$

$\text{oo}$  aneth. carb. chamom. Q. a. gt. iij. momord. q. f. M.

F. Empl. S. Heilpflaster.

Agmen claudit DIÆTA, in rerum nonnaturalium  
legitimo usu comprehensa, quem merito æger noster at-  
tendere debet.

Ex VITALI AËR vitandus est frigidus & humidus,  
nervis enim & membranis simul & intestinis inimicissimus  
est. Eligatur purus, amoenus, temperatus, nullis obsitus  
inquinamentis aut aliis miasmatibus imprægnatus, qui fa-  
cile sternutationem excitare potest, herniosis cane pejus &  
angue fugiendam.

In NATURALI cibus, cum suggerat succis vitali-  
bus pabulum, sit εὐχυνθανεύπεπθ, temperatus, boni  
fucci pro optimi sanguinis generatione. Vitentur frigidi,  
flatulenti, crassi, leguminosi, incoctiles, oleracei, acres, falsi,  
panis non probè fermentatus, carnes fumo induratæ, fru-  
ctus æstivi & omne genus ciborum, quod ventrem consti-  
pare & flatus inducere aptum natum.

POTUS sit cerevisia, ab omni heterogeneitate fecu-  
lentâ libera, non recens, nec acescens; medicata etiam ex  
herbis travmaticis & roborantibus usum habebit egregium.  
Vinum, in primis rubrum, tam adstringendi, quam robo-  
randi fine, maximè erit conveniens & stomacho gratis-  
sum.

In ANIMALI MOTUS quieti oppositus, modera-

tus & parcus suadendus: ut enim taceamus communes noxas, in nostro casu nil magis prolapsui intestinorum velificatur, quam motus. **QUIETI** ergo potius indulgendum est, ita tamen ne obstrukciones pariat, atque calorem nativum obruat. Hinc leniter & æqualiter omnes partes exerceat, & nullo tempore modum excedat. Equitatio, saltatio, cursus per loca declivia, eò, quod corporis viscera quassent, summo intentur studio. Elevatio oneris gravioris, jaculatio & quicquid musculos & ligamenta extenderet & rumpere valet, procul absit. A clamoribus & vociferationibus maximè sibi caveat, quæ omnia peritonæum tendunt & exercent gravius.

**SOMNUS** cum animalium facultatum quies sit, vires restauret, & dolores mitiget, ægro commendatus esse debet, ut sufficiens sit, non immoderatus, ut sic alterna requies etiam intestinis quietem vel ipso decubitu concedat. **VIGILIAE** productæ exulare debent.

**EXCRETA** assumtis respondeant & curiofè inprimis alvi munus cordi habeatur, ut non cesset, vel, si id fiat, admonescatur lenientibus laudatis.

In **ANIMALI**, **ANIMI PATHEMATA** omnia dictamen sanæ mentis sequantur. Vitet æger iram, quæ sanguine circa cor effervescente humorum varias commotiones excitat. Animi sui fit compos & placidus. Pellat timorem, nec dolor adfit.

## Soli Deo Gloria.

---

**F**ert ars auxilium, rumpantur ut ilia, præsens  
Solamen misero ferre parata loco.  
Hanc tu dum solers tibi conciliare laboras,  
Felicem studiis experiere brevi.

Boni ominis & acclamacionis  
ergo scrib,

Præses.